

dictum Iohannis evangeliste in libro Apocalipsis capitulo xviii.⁸⁾, ubi loquens de Christo ait: 'Habet in femore suo scriptum: Rex regum et dominus dominantium.' Glosa interlinearis⁹⁾: 'In femore: id est in^{d)} humanitate' et 'dominantium: id est omnium illorum qui exercent imperia sive dominia super alios.' Tertia ratio est talis: ille est verus imperator, sub cuius potestate sunt omnes nationes, ut habetur in decretis xi. q. prima § *Hec si quis*¹⁰⁾; sed soli Christo omnes nationes angeli paradixi et demones inferni et habitatores paradixi terrestres <subsunt>; ergo solus Christus fuit verus imperator. Minor probatur per dicta apostoli in epistola ad Philipenses 2.¹¹⁾, ubi dicitur, quod deus exaltavit Christum et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Yesu omne genu flectatur celestium terrestrium et infernorum. Ubi dicit glosa beati Ambrosii archiepiscopi^{e)} mediolanensis¹²⁾: 'Cui deus donavit? Homini an deo? Certe Christo homini donavit nomen, quod est super omne nomen.' Et Agustinus in glosa¹³⁾: 'Donavit Christo homini secundum carnem mortuo et resurgenti et ascendenti, ut in nomine Yesu' — id est eius imperio — 'fateantur subici angeli homines et demones.' Iterum^{f)} Agustinus in glosa¹⁴⁾: 'Christus a principio sue conceptionis in utero virginis hoc tantum nomen accepit, sed^{g)} dicitur ei post resurrectionem donatum propter talis potestatis manifestationem.' Quarta ratio est talis: ille est verus et naturalis dominus, qui succedit in aliquo regno iure hereditario ex parte patris et adhuc fortius si succederet etiam ex parte matris; sed Christus fuit dominus totius mundi ex parte patris et rex Iudeorum ex parte matris ut probabo; ergo Christus fuit verus et naturalis imperator. Minor probatur per verbum apostoli ad Hebreos 2.¹⁵⁾, ubi dicitur, quod deus constituit eum heredem universorum; de hoc dictum est supra. Sed quod fuerit rex ex parte beate virginis, probatur per verba beati Luce capitulo i.¹⁶⁾, qui dicit loquens de Christo: 'Dabit illi dominus deus^{h)} sedem David patris eius, et regnabit in domo Iacob in eternum'; sed sedes David, patris beate virginis et Christi, fuit regnum temporale; ergo beata virgo fuit regina secundum carnem et Christus, filius eius, nec potuissetⁱ⁾ esse filius regis David nisi propter beatam virginem, quia quicquid humanitatis habuit totum habuit a matre, qui^{k)} patrem in terris non habuit. Et glosa beati Ambrosii super Lucam¹⁷⁾ dicit, quod Christus descendit de David per catenam Salomonis. Quinta ratio talis est: ille imperator sive rex videtur habere iure hereditario dominium et proprietatem in suo imperio, qui nulla ratione potest renunciare imperio secundum^{l)} suum volutum, quia tunc proprietas cum dominio sunt anexa indissolubiliter; sed imperium Christi inhesit ei ex divina infusione in tantum, quod non potuisset renunciare imperio suo ut probabo; ergo Christus fuit magis verus imperator mundi quam Octavianus, qui bene potuisset renunciare, sicut Maximianus et Dyocletianus renuntiaverunt et privatam vitam duxerunt. Minor probatur, quia si Christus^{m)} imperio suo renuntiasset, contra dei ordinationem fecisset¹⁸⁾, quod fuit im-

d) *supplevi ex textu glossae* e) *om. W* f) *Item W* g) *scilicet B*
h) *om. W* i) *Christus add. BW* k) *quia B* l) *sed B* m) *in add. W*

⁸⁾ *Ap. 19, 16.* ⁹⁾ *Biblia sacra cum Gl. ord. (Antverpiae 1634) 6, 1655 f. ad vv. vestimento und dominantium.* ¹⁰⁾ *C. 11 q. 1 c. 36 dict. Grat. und c. 37.* ¹¹⁾ *Ph. 2, 9—10.* ¹²⁾ *Vgl. Petrus Lombardus, ebd., Sp. 236 (Augustinus?).* ¹³⁾ *Vgl. Petrus Lombardus, ebd., Sp. 237.* ¹⁴⁾ *Vgl. Petrus Lombardus, ebd., Sp. 236.* ¹⁵⁾ *Heb. 1, 2.* ¹⁶⁾ *Lc. 1, 32.* ¹⁷⁾ *Dieses Zitat kann ich nicht verifizieren.* ¹⁸⁾ *Vgl. Johannes XXII. (wie Anm. 1) Sp. 443; vgl. auch CM cap. 346.*